SANCTO IGNATIO LOJOLÆ

Societatis JESU Fundatori

SE, SUASQUE PHILOSOPHICAS THESES,

QUAS

IN ROMANO SOC. JESU COLLEGIO

Propugnandas suscepit,

JOANNES GINOBILI ROMANUS

D. D. D.



ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis in via Seminarii Romani. 1745.

SUPERIORUM PERMISSU.

CONCLUSIONES
PHILOSOPHICÆ
EX LOGICA.

I. LOgica, quæ a Platone rationalis Philoſophia nuncupatur, eſt facultas, quæ in mentis operationibus ad verum conformandis, dirigendiſque tota verſatur, ac proinde via eſt ad ceteras facultates, ad quas comparandas plurimum prodeſt. Ideas tum ſimplices, tum compoſitas Logica conſiderat: idearum autem nomine hoc loco venit illud, per quod humanæ menti objectum aliquod fit præſens: illud vero, quod menti per ideas ſiſtitur, terminus dicitur idearum. Nullæ ſunt in nobis ideæ innatæ, & congenitæ, ne Dei quidem, ſed omnes ab Intellectu de novo producuntur: quare Intellectum cogitando agere, ac non merè pati contra Carteſium affirmamus: aliqua tamen prævia operatione ſenſitiva Intellectus indiget ad quaſcumque cognitiones producendas.

II. Unius, ejuſdemque realiter indiviſibilis objecti plures eſſe poſſunt ideæ. Si hæ ſub eadem attributorum extenſione objectum exhibeant, illud denominant extrinſecè diſtinctum diſtinctione rationis ratiocinantis: ſi vero ſint inter ſe inæquales in extenſione, objectum denominant diſtinctum diſtinctione rationis ratiocinatæ. Utraque tamen eſt objecto extrinſeca, & quamquam diſtinctio rationis ratiocinatæ meritum habeat, ſeu fundamentum ex parte objecti; non tamen in objecto, aut inter gradus metaphyſicos ejuſdem

dem datur diſtinctio formalis ex natura rei, aut diſtinctio virtualis intrinſeca. Rejicimus quoque præciſionem objectivam, vi cujus alterum de duobus attributis realiter identificatis dicatur cognitione attingi, altero non attacto.

III. Ad ideas ſimplices pertinet univerſale, quod conſtitui dicimus ex multiplicitate reali tamquam ſubjecto, & ex unitate intentionali tamquam forma: individua enim realiter plura, ſunt formaliter unum per hoc, quod ſubſtent præciſivo conceptui, in quo neque individualis ulla ratio, neque multiplicitas appareat. Unitas ergo ſimilitudinis, quæ realiter exiſtit, eſt unitas non formalis, ſed fundamentalis: Ideæ autem, quæ Platoni tribui vulgò ſolent, ſunt commentitiæ, ac omninò rejiciendæ.

IV. Quinque numerantur univerſalia, genus, differentia, ſpecies, proprium, & accidens. Differentia alia eſt individualis, alia ſpecifica. Ea individualiter differunt, quæ ſolo numero differunt; ea vero ſpecie differunt, quæ in aliquo prædicato eſſentiali ſcientifico non conveniunt. Poſſibilem eſſe ſpeciem ab intrinſeco immultiplicabilem affirmant aliqui, alii negant. Nos reflexè dicimus, efficaciter non probari, quod aut Angelorum ſpecies exiſtentes, aut aliæ poſſibiles creaturarum ſpecies ſint ab intrinſeco immultiplicabiles.

V. Contra Pyrrhonios affirmamus, dari veritatem, & formalem quidem propoſitionum veritatem eſſe dicimus intentionalem earumdem conformitatem cum objecto enunciato, quæ tamen propoſitioni ſeu contingenter, ſeu neceſſario veræ eſt partim intrinſeca, partim extrinſeca. Ex duabus propoſitionibus contradictoriis de futuro abſoluto contingenti una eſt determinatè vera, altera determinatè falſa formaliter: inde tamen nihil læditur libertas, & contingentia futurorum. Ipſa etiam divina præſcientia futurorum contingentium abſolutorum, quamquam æterna ſit, & infallibilis, creatæ tamen libertati non adverſatur.

VI. Sicuti contra Scepticos, & Academicos ſtatuimus dari in hominibus aliquam ſcientiam; ita contra Platonem dicimus, hanc ſcientiam non eſſe puram reminiſcentiam, ſed de novo acquiri. Ea philoſophandi ratio, qua ad verum inveniendum uſus eſt Carteſius, ad eumdem finem non conducit. Nam etiamſi præſcindamus a fide, non tamen de omnibus eſt ſemel dubitandum; univerſalis enim dubitatio, qualem requirere videtur Carteſius, inutilis eſt, immò aditum omnem ad ſcientias præcludit, eaque ex animo ſemel admiſſa deponi nequit ope illius effati, *ego cogito, ergo ſum*, quod neque eſt prima veritas, cui aſſentimur, neque eſt principium.

VII. Cri-

VII. Criterium aliquod ſtatuendum eſt, ut humana mens veritatem certo dignoſcat. Hæc itaque veritatis criteria ſtatuimus. 1. Suprema Dei revelantis Auctoritas eſt prima, ac infallibilis regula veritatis in iis omnibus, de quibus locutus eſt. 2. infallibile etiam veritatis criterium eſt evidentia metaphyſica tum immediata, tum mediata. Si hanc intellexit Carteſius nomine ideæ claræ, ac diſtinctæ, criterium tamquam proprium ſibi vindicavit, quod commune ſemper fuit omnibus Philoſophis: ſi quid aliud vero intellexit; male ideam claram, ac diſtinctam pro veritatis criterio ſtatuit. Tandem quamquam male Epicurei omne veritatis criterium in ſenſibus ſtatuerent; ſenſus tamen non ſunt omnino ab inquiſitione veritatis removendi: ſi enim ſani ſint, & valentes; ſi teſtimonium unius alteri non adverſetur, ſi remota ſint impedimenta, ſi ratio ſuffragetur, phyſicam evidentiam procreare poſſunt, quæ erit veritatis criterium phyſicè certum, ac naturaliter infallibile.

EX PHYSICA GENERALI.

VIII. Phyſici corporis naturam inquirentes dicimus, corpus phyſicum malè a Carteſio definiri per trinam actualem extenſionem, & a Gaſſendo per actualem impenetrationem, quamquam enim naturaliter nequeant, poſſunt tamen ſupernaturaliter duo corpora mutuo penetrari. Sic ergo melius definietur definitione ſecundaria, *ſubſtantia completa ex natura ſua, ſeu radicaliter impenetrabilis*. Corporum exiſtentiam non modo divina fides, ſed etiam ratio naturalis evidens probat, quidquid in contrarium ſenſerit Malebranchius.

IX. Ad bene de rebus phyſicis judicandum has cum Newtono leges ſtatuimus. 1. Non plures admitti debent rerum naturalium cauſæ, quam quæ & veræ ſint, & earum phænomenis explicandis ſufficiant. 2. Effectuum naturalium ejuſdem generis (loquendo de cauſis neceſſariis) eædem, niſi quid evidenter obſtet, ſtatuendæ ſunt cauſæ. 3. Corporum qualitates, quæ intendi, & remitti nequeunt, quæque corporibus omnibus, in quibus experimenta capere licet, conveniunt, pro univerſorum corporum qualitatibus habendæ ſunt. 4. In Philoſophia Experimentali propoſitiones per inductionem ex phænomenis collectæ, non obſtantibus contrariis hypotheſibus, habendæ ſunt vel ut accurate veræ, vel ut quàm proximè veræ, donec alia occurrant phænomena, per quæ aut accuratiores reddantur, aut exceptionibus obnoxiæ.

X. Suus etiam eſt in rebus phyſicis tribuendus hypotheſibus locus, dummodò eæ juxta certas leges, quas præſcribimus, efformen-

mentur. Perutiles enim sunt hypotheses legitimè adhibitæ, & viam ad veritatem inveniendam sternunt: non tamen iis uti licet, tamquam demonstrationis principiis; sed admitti possunt tamquam opiniones, seu conjecturæ probabiles, eòque probabiliores, quo pluribus cum phænomenis consentiunt; neque in propositiones certas umquam abibunt, nisi certum sit, non modo eas phænomenis satisfacere, sed etiam nullam aliam esse hypothesim, quæ iis possit satisfacere.

XI. Ad explicandam physici corporis constitutionem plurima sunt excogitata systemata. Ex omnibus unum admittimus Peripateticum, prout a S. Thoma, S. Bonaventura, Scoto, aliisque Catholicis Doctoribus correctum est. Duo itaque statuimus intrinseca corporum principia, materiam, & formam. Materiæ nomine intelligimus iners quiddam, indifferens, & determinabile, quod in omni mutatione sensibili remaneat: nomine vero formæ intelligimus principium activum, quod sit radix earum proprietatum, quas in corporibus constanter deprehendimus.

XII. Præter formas substantiales admittenda esse in corporibus dicimus aliqua accidentia non solum modalia, sed etiam absoluta. Præter materiam, & formam ad habendum compositum unio necessario requiritur, quæ ab extremis, eorumque compenetratione realiter distinguitur. Ratio suppositi, aut personæ in creatis non consistit formaliter in ulla entitate positiva superaddita naturæ; sed est naturæ completæ incommunicabilitas per identitatem cum pluribus, & incommunicatio per unionem physicam cum digniore, a quo possideatur, & cui naturæ operationes tribuantur. Creaturis aliquam tribuimus virtutem vere fæcundam, & productivam alicujus entitatis de novo, quam virtutem generativam, vel eductivam appellamus, ac plurimum differre dicimus a virtute creativa Dei solius propria.

EX PHYSICA PARTICULARI.

DE CŒLO, ET CŒLESTIBUS CORPORIBUS.

XIII. Cœlos excepto Empyreo, fluidos esse, & ex natura sua, saltem divinitus, corruptibiles affirmamus. Ex Sacra Auctoritate contra Copernicanos evincimus Solem terra immota moveri. Solis substantia est vere, ac formaliter ignea ita tamen, ut etiam aliquam aliam substantiam heterogeneam habeat admixtam, sicuti ex solaribus maculis eruitur, quæ nihil sunt aliud, quam fuligines, halitusque e solari corpore erumpentes. Sol sphæricam, aut sphæroidicam

cam habet figuram, suaque peculiari atmosphæra donatur, quæ ex pluribus capitibus probatur, ac præsertim ex lumine zodiacali, quod aliqui secundum crepusculum vocant.

XIV. Ab hoc zodiaci lumine optime repetit Clarissimus Mairanius materiam idoneam Auroræ Boreali vel amplissimæ inducendæ. Cum enim Sol 25. diebus circa proprium axem convertatur, & substantiam Soli circumfusam hac rotatione circumagi maculæ Solares evincant; Jam si vehementi, ac perenni revolutione Solaris Atmosphæra figuram induat lentis utrinque convexæ sub Zodiaco jacentis, & ultra Terram interdum extensæ; Quando Sol in ea est Eclipticæ parte, quæ ad horizontem minime inclinatur; Atmosphæræ istius extremitas ante ortum, & post occasum Solis in modum cunei sub Zodiaco rutilabit; Alio autem tempore a crepusculo, & vaporibus horizontem obsidentibus occultabitur. Data hac hypothesi, si Solaris Atmosphæræ materies adeo tenuis, ut per eam in tam immensa crassitie stellæ transluceant, aerique tenuissimo in distantia nongentorum milliarium, & amplius innatans, ab eodem aere versus polum perpetuò fluente transferatur, ibique in majori copia congeratur, & quacumque demum de causa juxta diversas tenuissimi aeris dispositiones perturbetur; Spectabitur ibi cæli ardor, perdurabitque, donec aggeribus ruptis sese expediat, atque evanescat. Porro cum aer, ac universa terrestris Atmosphæra ingenti Zonæ torridæ æstu, ac frequentibus caussticis vehementissime inflammetur; Elevari eam necesse est, ac ne in montem consistat, versus polum perpetuo defluere, secumque rapere non modo purissimum, ac tenuissimum aerem, sed etiam huic insidentem per sese lucidam Atmosphæræ Solaris materiam.

XV. Sol, & Stellæ fixæ nativam habent lucem: Planetæ autem omnes sive primarii, sive secundarii lucem mutuantur a Sole; quod quidem de cometis etiam sentiendum est: illos enim non esse meteora sublunaria, neque corpora terrestribus halitibus concreta, ex minima parallaxi, cui sunt obnoxii, demonstrant Astronomi: verosimilius autem esse censemus, quod sint astra mundo coœva, quæ in planetarum regione versantur, circa Solem moventur in sectionibus conicis umbilicum communem in Sole habentibus, & radiis ad illum ductis areas describunt temporibus proportionales. Cometarum vero caudam esse putamus vaporem tenuissimum, e cometæ capite jugiter emissum, & in partes a Sole aversas abeuntem: qua quidem in sententia omnia caudarum phænomena explicamus.

DE ELEMENTIS.

XVI. Elementa omnia etiam in propriis respective locis gravitant. Ignis quoque positivam habet gravitatem, & respectivam dumtaxat levitatem, uti ex multiplici constat experimento; & quamquam flamma sursum videatur ascendere, revera tamen à graviori corpore protruditur. Hac occasione genesim conicæ figuræ in flamma explicamus, & quid ad ejus accensionem, atque extinctionem concurrat, & requiratur, evolvimus. Falsitatis redarguimus ingeniosam Torricellii sententiam, qui in Academicis prælectionibus 5., & 6. omnia phænomena per positivam levitatem, exclusa gravitate, nititur explicare. Materia igniti cujuslibet meteori, stellarum scilicet cadentium, ignis fatui, fulminis, Castoris, Pollucis, Helenæ &c. concreta est ex nitrosis, sulphureis, ac bituminosis spiritibus, qui magis, minusve inflammati noxiam, aut innoxiam flammam fovent. Ignes fatui ideo fugientem sequuntur, & insequentem fugiunt, quia aeris motui obsecundant facillime. Multiplicem tradimus rationem, qua fulmen accendi potest, uti pluribus probamus experimentis, ac potissimum auri, & pulveris fulminantis. Motum quoque fulminis, ejusque mirificos effectus, necnon & loca, in quibus gignitur, conamur explicare. Fulguris quoque, & tonitru genesim evolvimus.

XVII. Cum demonstratum hactenus non sit, terraquei globi figuram esse sphæroidem compressam ad polos, & elevatam sub Æquatore; potest adhuc probabiliter defendi ejusdem globi ad sensum sphæricitas. In terræmotu non externus dumtaxat aer, ut putarunt nonnulli, peculiari motu agitatus terram concutit, atque ædificia subvertit; sed ipsa vere tellus tremit, atque concutitur ex subterranea sulphuris, nitri, ac bituminis accensione, & ex aeris subterranei rarefactione inde orta. Triplex terræmotus species in hac sententia bene explicatur, nimirum succussio, tremor, & inclinatio. Sicuti terræmotibus subversionem suam debent, aut discissionem, plures montes, Urbes, ac Insulæ; Ità ortum suum iisdem debent montes aliqui, & aliquæ Insulæ. Nitrum, sulphur, bitumen, aliaque oleaginosa corpora facile inflammabilia in telluris gremio delitescentia materiam igni suppeditant, qui è montibus ignivomis erumpit.

XVIII. Experimenta hactenus tentata non evincunt efficaciter, aquam esse elasticam, aut compressionis capacem. Aqua, dum concrescit in glaciem, rarefit, plurimaque intrà suos poros recipit

fa-

salina, ac nitrosa corpuscula, quæ ad conglaciationem necessario requiruntur. Aqua, licet fluida sit, aliquam tamen habet viscositatem, seu partium cohæsionem, in quocumque tandem hæc reponatur. Causa physica innatationis, ac demersionis in fluidis est major, ac minor specifica gravitas corporum fluidis superimpositorum. Hac occasione piscium, ac reliquorum animantium natatum in aqua, & avium volatum in aere explicamus. Proposita maris origine, divisione, ac profunditate; statuimus sphæricam ad sensum esse ejus superficiem, & à propria gravitate citra miraculum intra suos fines contineri, ne terram inundet. Aquæ marinæ salsedo à veris salinis particulis admixtis oritur, amaror vero ex bituminosis, sulphureisque particulis, quibus aqua maris abundat. Sol, & Luna sunt marini æstus principium seù mediatum, seù immediatum. Aliorum quoque Oceani motuum tùm regularium, tùm irregularium causam physicam statuimus: necnon Scyllam, & Carybdim, & currentes explicamus.

XIX. Vapores sunt tenuissimæ aquæ bullulæ actione Solis, aut ignis, aut subterranei caloris, & ventorum vi, aut fermentationis motu attenuatæ, atque à graviore specifice ambiente aere in altum eductæ. Ad eam delati altitudinem vapores, ubi ex hydrostaticæ legibus cum aere æquilibrari possunt, ventorum vi partim coguntur in nubes, partim ad montium juga deferuntur, ubi frigore constipati, gravioresque redditi guttatim decidunt: In pluvias vero solvuntur, quando nubes ab aere æquilibrari amplius nequeunt; quod quidem multis de causis contingere potest. Præcipua, quæ circumferuntur, pluviæ impendentis indicia ad trutinam revocamus eorum causam physicam inquirentes, sicuti portentosas quasdam pluvias explicamus, quarum meminerunt historiæ. Nebulam, nivem, grandinem, rorem, pruinam, ceteraque meteora aquea non prætermittimus, sed eorum causam, & effectus, ac præcipua phænomena explanare conamur.

XX. Aer est corpus fluidum positive grave, & elasticum. Per ejus gravitatem, & elaterium dependenter à legibus, quas natura servat in solidorum, ac fluidorum æquilibrio, explicamus phœnomena olim horrori vacui tribui solita. Licet vacuum tùm coacervatum, tùm disseminatum sit divinitus possibile, neutrum tamen de facto existere, aut necessàrium esse in natura evidenter evincitur. Tum causas, tum effectus condensationis, & rarefactionis aeris exponimus. Terrestris Atmosphæræ altitudo 14. milliaria non excedit. Ventus est sensibilis aeris commotio, per quam aer amissum æquilibrium recuperare nititur. Præmissà multiplici ventorum divisione, eorum causam physicam tum mediatam, tùm im-

immediatam statuimus. Ventorum dissimiles proprietates, vi quarum alii sunt humidi, & alii sicci; alii calidi, & alii frigidi; alii salubres, & alii insalubres, à peculiaribus exhalationibus sunt derivandæ, quibus aer imbuitur, dum ex uno in alium transit Orbis terraquei tractum.

EX METAPHYSICA.

DE DEO.

XXI. DEum existere non solum ex fide certum est, sed etiam ex naturali ratione demonstrari potest, neque enim repugnat, actum scientiæ; ac divinæ Fidei in eodem Intellectu circa idem objectum materiale componi. Demonstramus autem Dei existentiam contra Atheos à posteriori. Ejus quoque unicitatem rationibus naturalibus contra Polytheistas evincimus. Deus ita est prima rerum omnium causa, ut ad omnes, & singulas creaturarum operationes, & effectus physice immediate concurrat. Concurrendo autem cum causis secundis liberis Omnipotentiam suam applicat per decretum indifferens, earumque actiones, & effectus physice non prædeterminat.

DE ANIMA, SEU DE CORPORE ANIMATO.

XXII. Animam hominis, quæ spiritus est, immortalem esse demonstramus ea saltem evidentia, quæ prudentem dubitationem sufficienter excludat. Male a Cartesio eadem definitur *substantia cogitans*, cogitatio enim, cum ab anima realiter distinguatur, non potest esse ejus essentia. Eadem rursus est vera humani corporis forma, neque in sola glandula pineali, aut in solo cerebro existit, sed per totum corpus diffunditur, ac virtualiter extenditur, ita tamen ut non singulas ejus partes informet, sed eas solum, in quibus operationem aliquam potest exercere. Hinc sanguinem animari negamus. Neque simul, neque successive sunt in homine plures animæ. Præcipuæ rationalis animæ facultates sunt Intellectus, & Voluntas: Hanc esse liberam libertate indifferentiæ non modo sacra Auctoritas, sed etiam ratio naturalis evidens docet. Tum bona, tum mala indoles in hominibus non ab anima, sed à corpore oritur.

XXIII. Quinque sunt in homine juxta communissimam divisionem externi sensus, videlicet visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus. Quamquam sentiendi radix sit in cerebro, in quo sensus com-

communis, & nervorum origo habetur; non tamen in solo cerebro fiunt sensationes omnes externæ, sed singulæ in propriis organis ab anima producuntur. Tactus organum sunt nervi, ac præsertim eorum fibrillæ, ac papillulæ sub epidermide delitescentes: ejus autem objectum sunt externa corpora apta ratione quantitatis, figuræ, & motus ad nervos vellicandos, & impellendos aliter ac naturalis, & habitualis ipsorum status ferat. Olfactus organum est fibrosa illa tunica, quæ intimos narium anfractus vestit, & sub qua papillæ plurimæ nerveæ delitescunt: ejus objectum sunt odores, quos in corpusculis subtilissimis ex odoro corpore emanantibus reponimus.

XXIV. Gustatus organum sunt nerveæ papillæ, quibus lingua contexitur: ejus objectum sunt sapores, qui bene reponuntur in salinis particulis, quæ pro diversa figura, textura, & motu, nerveas linguæ fibrillas diversimode vellicant. Auditus organum est nervus acusticus plurimis fibrillis nerveis intertextus: ejus autem objectum est sonus. Sonus causalis, & in actu primo est elasticus, & oscillatorius sonori corporis tremor: sonus autem formalis, & in actu secundo est elasticus, & oscillatorius aeris tremor eidem à sonoro corpore communicatus. Sonus quilibet per lineam rectam, sed sphæricè successivè propagatur, motu tamen æquabili intra totam suam sphæram, itaut numquam motum suum acceleret, aut retardet, sed semper sub æquali temporis mensura æquale spatium percurrat, uti ab experimentis patet, à quibus etiam constat, Sonum aliquid pati à medio, per quod diffunditur, & citius vento secundo, tardius adverso propagari. Intenditur, & augetur sonus tum ex majore aeris densitate, atque elasticitate, tum ex impedita ejusdem dispersione, tum ex multiplici reflexione in alicujus instrumenti parietibus, cujus beneficio vocales lineæ simul collectæ, constipatiores ex instrumento exeant, ac ejusdem axi fermè parallelæ. Hinc facile explicantur plura phænomena, quæ contingunt in specu Dionysiana prope Siracusas, in tubis, atque aulis vocalibus, in templis, theatris &c.

XXV. Sonus, dum reflectitur, æqualitatem servat angulorum incidentiæ, & reflectionis: Si sonus reflexus distinctus sit, dicitur Echo; si confusè veniat, in bombum, seu boatum degenerat. Linea vocalis ducta à sonoro corpore ad superficiem reflectentem est directa; eadem regrediens à reflectente est reflexa: utraque simul sumpta metitur totam semidiametrum sphæræ activitatis sonori corporis, quod est tamquam soni centrum. Non solùm superficies concava sphærica, aut elliptica, aut parabolica, sed etiam superficies plana, si solida sit, lævigata, ac in debita distantia, est ad Echum idonea. Extremas tantum ut plurimum Echo remittit vo-

voces: cum enim eodem ordine sonus excurrat versùs reflectentem superficiem, quo in ore successivè formantur vocum syllabæ, inde fit, ut dum priores soni partes per locutionem expressæ resiliunt, incurrant in subsequentes longe validiores utpote nondum reflexas, quarum vi disperguntur, ne ad aures redeant. Extremæ autem vocum syllabæ illæsæ lineam reflexionis absolvunt, cum nullos habeant insequentes radios, in quos incurrant. Integra tamen redit vox, quoties ea sit locorum habitudo, ut vocales radii ad eam partem non dirigantur, ex qua post multiplicem reflexionem remittuntur coadunati. Sæpe Echo, nedum polisyllaba est, sed etiam poliphona, ita ut non semel per debita temporum intervalla eamdem vocem remittat. Id autem contingit, quoties plura sint e regione loquentis plana vocem reflectentia spatiis inæqualibus gradatim à loquente dissita. Si duæ sint superficies reflectentes, Echo erit diphona; si tres, erit triphona &c. Consonantiam etiam, & dissonantiam, aliaque soni phænomena explicantes, physicam statuimus eorum causam, quantum ab observationibus colligi potest.

XXVI. Visus organum in choroide statuimus: visionem autem excitari dicimus per lucis radios diversimode refractos, & ab objecto reflexos, cujus imaginem in oculo pingunt. Lucis directionem, reflexionem, refractionem, & diffractionem explicamus, legesque, quibus fiant, statuimus, atque à phænomenis obscuram lucis naturam dignoscere studemus. Colores, qui sunt objectum visus, sunt luci intrinseci, itaut quilibet lucis radius septem primitivis coloratis radiis diversæ reflexibilitatis, & refrangibilitatis componatur: hi autem invicem separati colorem numquam mutant, licet multiplex adhibeatur reflexio, & refractio: in qua quidem sententia optimè colores Iridis explicantur, ceteraque emphatica meteora. Objectorum magnitudo, distantia, motus, aliaque hujusmodi non tàm ab oculo videntur, quàm ab Intellectu æstimantur, dependenter tamen à modo, quo radii ab objectis ad oculum devenientes illum afficiunt. Magnitudines sub æquali angulo optico visæ apparent æquales, sub minori minores, sub majori majores. Eadem magnitudo quò remotior est à Spectatoris oculo, sub minori angulo; & quò propior, sub majori videtur: inde ejusdem objecti optica magnitudo, invariato objecto, minui, augerique potest; & reales magnitudines utcumque enormes sub minimo angulo spectatæ, minimæ, sub insensibili insensibiles apparent. Loci, in quo est objectum, distantiam æstimamus, tùm ex majori oculorum nisu, tùm ex interpositione corporum, quæ visu percurrimus, tùm ex objecti magnitudine aliunde nobis nota, tum demum ex majori, aut minori visionis claritate, ac distinctione.

XXVII.

XXVII. Visio, quæ fit per axem opticum, est omnium distinctissima; in obscuram tamen degenerat, ubi potior radiorum opticorum pars vel cis, vel ultrà retinam concurrat. His de causis Myopes objecta paulò remotiora confusè vident, quæ clarius viderent propiora; Præsbytæ contrà confusè vident propiora, quæ clarius viderent remotiora. Utrumque phænomenon in crystallini humoris vitium refundi debet, qui in Myopibus est majus minoris sphæræ segmentum, & in Præsbitis minus segmentum sphæræ majoris: hinc concavis conspicillis Myopes, convexis Præsbitæ incommodo consulunt suo. Corporum motum concipimus, vel quia movetur objectum, ejusque imago diversas oculi immoti partes successivè afficit, vel quia movetur oculus, & objecti immoti imago diversas oculi partes adhuc successivè afficit. Ideo objectum unum, etiamsi utroque oculo videatur, non apparet geminum, quia uterque oculorum axis in eodem objecto, eodemque loco concurrit: si secus contingat, objectum non in uno tantum loco, atque adeo neque unum tantum, sed geminum apparebit. Tandem aliquibus stabilitis, quæ vel certa sunt ab experientia, vel à ratione demonstrantur, cetera visus phænomena explicamus tum ad directam, tum ad reflexam, tum ad refractam visionem spectantia.

XXVIII. Omnes creaturarum species Mundi initio Deus non in instanti, sed spatio sex dierum condidit, non tamen omnia plantarum, animalium, hominumque corpora produxit, quæ mox tractu temporis explicentur, atque evolvantur, ac per materiæ additionem crescant. Quantum ab observationibus, atque experimentis hactenus habitis colligere licet, nullum animal, nullaque planta ex putri materia oritur, sed plantæ ex seminibus, animantia ex ovis nascuntur. Montani pisces, ac testacea sunt vera animantia lapidefacta: verisimile autem est mare olim fuisse in iis locis, in quibus reperiuntur. Explicamus tandem, qua ratione tum in animantibus, tùm in plantis, ac vegetabilibus reliquis fiat sanguinis, aut nutritii succi circulatio, atque animantium, plantarumque nutritio, ac vegetatio.

F I N I S.

Disputabuntur publicè Romæ in Collegio Romano Societatis JESU à Joanne Ginobili Romano Anno 1745. Mense Augusti
Die Hora

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sac. Pal. Apost.

F. M. de Rubeis Arciep. Tarsi Vicesg.

IMPRIMATUR.

Fr. R. Palombi M. Socius Reverendiss. P. Mag. S. P. Apost.